Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26086
Copyright: Admont, Benediktinerstift

BENIGNITAS saluatoris nostri martirum perseuerantiam conprobata eo usque processit. ut fidi amicos conprobaret et inimicos eorum ex ipsis inferorum erueret.

Sanctorum martyrum Primi et Feliciani.

TEMPORIBUS diocletiani et maximiani imperatorum. seua fuerat christianis orta tempestas. ut quicumque inuentus fuisset huius uite sectator. et idolis consentire noluisset. diuersis ac uariis suppliciis puniretur. Viri Primus et Felicianus in domino perdurantes. a templorum pontificibus accusati sunt ad diocletianum et maximianum dicentes. Duo nobis dare responsa contempnunt qui dixerunt. Nisi primum et felicianum conpellere uolueritis. nulla uos beneficia consequi poteritis. Succurrite itaque nobis et imperio uestro ne pereamus. Tunc diocletianus et maximianus iusserunt militibus ut inquirentes eos diligentius conprehenderent. Erant enim ciues romani. Et inquirerent eos. comprehensi sunt a militibus et duxerunt eos ad imperatores. et iusserunt eos ferro uinctos in carcere recludi. Cumque pro christi nomine uincti fuissent. affuit eis angelus domini qui eos consolaretur. et absoluit eos a uinculis quibus constricti erant. Et dixerunt beati martyres. Te benedicimus domine deus noster quia consolatus es nos seruos tuos. et dissoluisti omnia uincula nostra per angelum tuum quemadmodum beato apostolo tuo Petro. Et te petimus domine ihesu christe ut ab eius meritis non nos facias alienos. Post aliquos uero dies iusserunt eos imperatores suis aspectibus presentari. Cumque intromissi fuissent beati martyres primus et felicianus ex officio dictum est astare. Et dixerunt imperatores eis. Vos estis qui iussa nostra contemp